



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 200. Mittentes sortem. v. 35.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

quid sit nudum sequi te nudum Iesum. Profecto non est ista parva perfectio, ista sine magna gratia non exercetur, hanc igitur oro, per tuam denudationem Iesu.

§. 200. *Mittentes sortem. v. 5.*

Super qua re? utique super reculis pauperrimi Iesu adhuc hactenus ei relictis, quænam vero illæ? nam modo videbam eum virum pauperrimum & spoliatissimum: dicit mihi Evangelista vestimenta, & vestem & S. Euthymius exponit mihi triplicem vestem. inter eam prima erat Tunica inconsutilis, quæ infima fuit instar eius quam Germani Indusium dicimus, nobis ex lino confici solitum. Altera erat similis Ecclesiasticorum togæ, quæ ab Italis *Sottana*, nobis Toga, vel Talaris, item Pia dici solet, qua domi forisque accinctum esse decet clericum. Tertia erat instar Pallii, quo Iudæi utebantur cum exibant domo, aut in publico agebant. quibus forte femoralia, sudaria aliaque adiuncta fuerunt. Ecce super his iacitur fors amara Christo, utilis nobis, eis vero, qui forte aliquid tam sanctarum Reliquiarum Domini acceperunt, felicissima, siue spectes religionem, siue sæculare pretium. nam immani pretio imo tota substantia sua, quilibet Christianus libenter emeret unam ex his margaritis, & quilibet, qui non odit Iesum libentissime videret, aliquam ex his particulam, & beatum se æstimaret si posset tangere. At quamquam super omnibus partibus quatuor, sortem decretoriam missam fuisse intelligi possit, peculiariter tamen super inconsutilem togam, fors singularis missa fuisse asseritur. Mirari hic subit, quomodo milites Romani, alias ingenui & divites satis inciderint in tantam appetentiam reularum Christi Domini, ut de his sorte contendendum sibi esse putaverint. Mytheria, Mytheria, aliud dicere nescio, alludere tamen possum, & opinari, quod uti inimici Christi Domini à militibus sponcione pecuniæ emerunt eius tormenta & illusiones, ita amici Christi, ab iisdem militibus coemerint custodiam, & potestatem obtinendi sanctissimas eius reliquias, & hinc tam exactè & avidè milites pauperrimæ rei intendisse, quo accesserit etiam cura propria habendi aliquid ab ea persona, quæ Ierosolymis pro Rege Iudæorum fuisset crucifixa, & taliter tractata, quæ enim rara etsi non adeo proficua sint, sunt tamen cara.

O Iesu fili unice virginis in tuis vestibus variis agnosco merita tua & Sacramenta, sed in Toga inconsutili agnosco tuam unam Ecclesiam Catholicam. Illam dividere non debuit, nec voluit miles, sed forte certavit. Hanc autem scindere intendit omnis Hæreticus, sed dum scindere aggreditur extra eam confestim delabitur. Sciderunt quidem Arius, Nestorius, Eutyches, Wiclefus, Hussius, Pragensis, Lutherus, Menno, Calvinus, Gommarus,

marus, Arminius, Calixtus, Crocius, Hulsemannus & innumeri alii hominum iudicia, sed tuam Christe Ecclesiam Catholicam nondum potuerunt scindere. Sperabant quidem acatholici, toties quoties Papa Romanus moritur, eam scindendam, & hoc anno cum aliquot menses in conclavi disceptarent Cardinales valde sperabant scissuram, sed Deus maiorem dedit unitatem 64. votis. 1. omnibus electus est, vir quem viderunt Legati septentrionis, omni exceptione maior, Alexander VII. spe sua mala scissuræ sunt frustrati. Sors cecidit super unitatem, non divisionem. qui hic dividere vult, peioris conditionis est & malitiæ, quam milites qui te crucifixerunt. Perge itaque Domine, unus & trinus Deus, pacis & charitatis cultos, & ne permittas in Ecclesia sancta tua, sint scissuræ, ut variæ opiniones, fidei & explicationes quibus populus à te & Ecclesia tua separetur & dividatur: sed concede gratiam, ut in ea sit anima una omnium & cor unum, maneamus constantes in una fide spe & charitate, te sic jugiter laudantes in hac triumphante Ecclesia, ut in æternum te laudare valeamus & permanere tecum in illa triumphante.

§. 201. *Ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem, dividerunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. y. 35.*

Adducens Evangelista testimonium Prophetæ David, insinuat, ut quando Iudæi & gentiles intellexerint in morte crucifixi vestimenta eius divisa fuisse, & sortem missam desuper agnoscerent illum verum esse Messiam, quem Deus misisset in hunc mundum, ut eum salvum faceret à peccatis, Iudæis primum, postmodum gentiles, nec excusationem haberent, non habuisse sufficientia testimonia credendi istum crucifixum esse ipsorum salvatorem, quem tot precibus & lacrimis petivissent & expectassent, quando præter aliâ testimonia ne vestium quidem divisionem & sortitionem tacerint Prophetæ ad mortem Christi.

ATrende nunc ô anima mea interna compassione, & intimo dolore cordis dulcissimum redemptorem & amatorem tuum; aspice ut rem gloriæ qui cuncta vestit ac regit, cælum nubibus, arbores foliis, terram, herbis ac floribus, ipsemet ad cutem usque totus despoliatus sit vestibus. Vide dominum Dominorum factum veræ paupertatis speculum; & pudeat te post hac murmurare, conqueri aut animo dei jci, quum aliquid tibi subtrahitur, aut cum in externa relinqueris paupertate: discite hic pauperem nudum, derelictum Iesum sequi, contemne quidquid mundus habet, quo nudum salvatorem nudis brachiis amplecti, & illius amplexibus stringi, ac nudo in amore illi uniti merearis.

Domini